



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Quarta Conclusio. Futura, quæ habent caussam, vt plurimum determinatam, sed fallibilem, cognoscuntur certa quadam coniecturali cognitione, sed non infallibili, à Dæmonibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

prædixit proprius magisterulus. Cui mulier respondit: Miserabilis Dæmon, huius reitu causam dedisti. Iterum Dæmon: Tibi facio, sicut tui similibus.

Tertia Conclusio. Futura, quæ habent causam necessariò determinatam & infallibilem, ad eorum esse producendum, Dæmones naturali cognitione cognoscere possunt.

HAEC Conclusio constat ex d. cap. Sciendum: & communi sententia Doctorum: & Ratio est: Huiusmodi futura habent esse in suis causis necessariò determinatis, quod quidem esse cum sit determinatum, infallibile & necessarium, certò potest cognosci. Quia Philosophiæ est pronunciatum: Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Sic multò certius quocunque Astrologo eclipses, & planetarum coniunctiones prædicere Dæmones possunt. Quia rectius causas talium effectuum cognoscunt.

Quarta Conclusio. Futura, quæ habent causam, ut plurimum determinatam, sed fallibilem, cognoscuntur certa quadam coniecturali cognitione, sed non infallibili, à Dæmonibus.

RATIO:

RATIO: Quia cùm hæc futura solùm habeant esse in sua caussa determinata non necessariò, & infallibiliter, sed vt plurimum simili modo cognoscuntur iuxta dictum pronunciatum. Sic Dæmon possit prædicere mago vel malefico anni fertilitatem, quando est bona cæli cõstitutio, aut aëris optima constitutio, non tamen infallibiliter, quia fructus multis modis possent impediri ex alijs caussis.

Quinta Conclusio. Futura merè contingentia, & indeterminata Dæmones non possunt naturaliter cognoscere.

QUIA hæc futura cùm sint ad vtrumlibet, indeterminatam & fallibilem habent caussam, atque ab hominis libero pendent arbitrio, quod in vtramque partem potest flecti. Liberum enim arbitrium, quantum ad actus sui determinationem, non cadit in cognitionem certam Dæmonis. Et confirmatur ratione. Quia si posset cognoscere, vtiq; vellet scire, An vinceret hominem, vel esset vincendus ab homine, quem tentat: Quia cùm superbus sit, nunquam tentaret eum, à quo se vincendum præsciret. Ideoq; semper tantum eum tentaret, quem se victurum præcognosceret. Sed clarum est ex sacris literis, gestis Sanctorum, & experientia, quod tentat etiam alios, à quibus vincitur, vt patet in Iob, Salvatore nostro,